

erantia etiam circa appetitum generativum versatur, qui-
 bus castitas & continentia sub temperantiâ, tanquam
 species sub genere, comprehenduntur. Nos Temperan-
tia vocem accipimus strictissimè, pro eâ virtute quæ
 alimentis præest, interim non inficientes, Temperan-
 tiam etiam Venerarum cupiditatum moderatricem di-
 ci posse. Tria autem sunt quasi requisita Temperantiæ;
 1. ut cibum & potum, si absint, moderatè expetamus,
 2. ut iis præsentibus honestè ac moderatè utamur, sci-
 licet quantum naturæ satis est, tum ad sedandam famem
 & sitim, tum ad excitandam hilaritatem naturæ con-
 venientem, 3. quantum circumstantiæ loci, temporis,
 &c. admittunt. Videndum enim est, ubi, quando &
quomodo alimentum sumatur. Effecta Temperantiæ
 insignia sunt, quorum alterum spectat corpus, ut sa-
 nitas & pulchritudo; alterum verò spectat animum, ut
 conservatio & confirmatio ingenii, iudicii, & memo-
 riæ, atque adeò ipsius hominis præparatio ad omnes ho-
 nestas actiones. Hinc græcis Temperantia dicitur σω-
 φροσύνη, quasi σώζουσα τὴν φρόνησιν, quòd mentem con-
 servet. Est igitur memorabile quod Cicero de senectute
 dicit, libidinolosam & intemperantem adolescentiam
effocet corpus tradere senectuti. Epaminondas à vi-
 cino ad cœnam vocatus quum vidisset splendidum bel-
 latorum & opsoniorum apparatus, statim discessit;
 Plutarchus in apophth. Hoc considerans celebris ille
 legum civilium commentator Bartolus, adeò tempe-
 rans circa victum fuisse narratur, ut ad pondus comede-
 rit, idque eo consilio, ut haberet intellectum bene dispo-
 situm. In sacris commendatur temperantia Danielis &
 trium ejus sociorum, Dan. 1. Porro ratione cibi Temper-
antia dici potest in specie Frugalitas, ratione potus verò
Sobrietas.

7 Temperantiæ in excessu opponitur Intem-
 perantia, quâ modus exceditur in edendo & bi-
 bendo.

SCHOL.

requisita
 Temperantiæ.

Effecta Tempe-
 rantia.

Temperans
 Bartolus.